

John Carter Brown.

Presented to Mr J. Carter Brown
by his obt. servant
D. O. H. Bernard

Providence R. I.
Novbr. 6th 1864.

Geographico - historical disputation on the origen, increase and fame of the american people.

pag 92.

8

Q. D. B. V.

DISPUTATIO GEOGRAPHICO-HISTORICA,

De

ORIGINE, ADITU ATQVE FAMA GENTIUM AMERICANARUM,

Quam

In Celeberrimâ Leucoreâ

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Præeximii atq; Clariſſimi

DN. M. GEORGII CASP. KIRCHMAIERI, Uffenheimenſ. Franci,

placido publicoq; eruditorum examini ſubjicit,

JUSTUS GOTOFREDUS RABNERUS Sorâ Luſatus, Alumn: Elect:

Autor & Reſpondens.

Ad diem Novemb. M DC LIX.

horis locoq; ſolitis

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typographicâ JOHANNIS HAKEN.

ANNO M DC LIX.

Q. D. B. V.

Proœmium.

DUbitatum fuiſſe antiquitûs de Antipodum exiſtentia, notius forſan erit, quàm ut multâ probatione opus ſit, nec operæ pretium facturus eſt qui contrarias diſſentientium rationes multo verborum ambitu refutare voluerit. Sublevamur hoc onere â *Conimbric. Comment. lib. 2. de Cælo cap. 14 quæſt. 1. artic. 2. pag. m. 404. 405.* Quid verbis opus eſt, ubi rerum teſtimonia adſunt? Unicus adhuc D. Auguſtino ſcrupulus eximendus erit, qui, ſi omninò darentur Antipodes, non fore eos de Adæ propagine veritus eſt; interclusum enim eſſe omnem Oceani vaſtitate aditum. Docendum itaq; imprimis erit quinam homines, per quas vias & quando in ἀντίχθονα noſtrã pervenerint. Magna ſunt, fateor, & quæ non viribus iſtis munera conveniunt. Quis n. ignorat quàm miſerè ſe torqueant etiam Clariſſimi Scriptores in inveſtigandis noſtri orbis originibus? Quoties conjectura vicẽ veritatis ſupplere cogitur? quanti labores exhauriẽdi ſunt in eruendis antiquorũ monumentis, & reſtituendis, quos tempus edax rerum arroſerat lapidibus? Hæc cùm ita ſe habeant quis non videt quanto labore opus futurum ſit in aſſerendis earum gentium originibus, quarum terras, ne dicam linguas, magna ex parte adhuc ignoramus? Hinc factum quod ad noſtra ferè tẽpora rerum difficultate deterriti ſcriptores nihil certi ſtatuere, aut ſententiam ſuam cum famæ præjudicio

 præci-

JOHN CARTER BROWN

præcipitare voluerint. Suſpenſa fuêre judicia, donec Hugo Grotius ſolos Norvvagos, Abysſinos & Sinenſes nobis obtrudere auſus eſt. Sed, ne abutatur iſte credulitate noſtra, aut occaſione rerum abſtruſisſimarum cõjectationes nobis ſuas vendat, egregiè renituntur cum Latio Hornius, qui in refellendo Grotio mutuas ſibi operas tradunt. Poſtremum huncce maximam partem in noſtra diſputatione ſequemur. Nec vitio nobis verti poterit, ſi in re tantis tenebris obvoluta, face nobis qui præluceat, quæramus; nec modeſtia noſtra periclitabitur, ſi in quibusdam verecundè diſſentiamus. Sit igitur favente DEO

QUÆSTIO PRIMA

Quando homines in Americam pervenerint?

Summaria.

Rejicitur nonnullorum opinio cum Latio. Fertilitas Septentrionalium. Noachidæ temperatiora loca primùm ſecuti ſunt. Ophir Salomonea. Refutatur Hornius, Peru unde dicta. Claſſis Salomonis per mediterraneum non navigavit. Quando America primùm habitata ſit?

I. Conſtitueramus equidem de ferarum in Americam aut alias â continente remotiores Inſulas aditu nonnulla præmonere, ſed prolixiores iſta ſibi depoſcebant paginas, & credibile eſt, eâdem feras quâ homines veniſſe viâ. De hominibus ergò ſolis agendum erit. Hîc verò ne actum agamus in exturbando jam toties profligato Præ Adamita, aut in rejiciendis ex Atlantide noſtra Opmerii Antediluvianis, aut Noachicis Leſcarboti coloniis ſteriles operas elocemus; (Concidunt n. hæc ipſa ſui vanitate) militari via adverſus Latium & alios contendimus, qui ſtatim â diluvio aut brevi poſt linguarum confuſionẽ tempore, impletas fuiſſe volunt Antipodum terras. Argumenta deſumit Latius â frequentia hominum, quibus vaſtiſſima illa & enormia Americæ ſpatia, quæ noſtro fere orbi magnitudine nõ cedant,

dant, item à mirandis ædificiorum molibus in Mexicano & Peruano regnis. Verùm n. verò (pacem præfabor tanti viri) liceat nobis hoc quidem loco placidè diſſentire & rationes iſtas examinare. Conjecturis forte ſuperſtruendis ferendo erant, non verò firmis aſſertionibus.

II. Quod igitur palmarium eſſe putatur, tot hominum myriades, nihil aut parum pro aſſerendâ tot ſeculorum antiquitate facere poterunt. Paucioribus ſeculis in tantum numerum excreſcere potuiſſe iſtos homines facile probabimus. 1. Ex fertilitate hominum Septentrionalium, ex quibus, ut poſteà audietur, hodierni Americani maximam partem oriundi ſunt. *Vid: Bodin: in method. hiſt: cap. 5. pag. mihi 134. & ſeqq.* ubi Scythas omnium populorũ eſſe fœcundiſſimos probat. Loco omnium ſufficiat Scandinavia illa gentium officina, de quâ Jornandem vide & Olaum M. Paulus Diaconus & Methodius examina exercituum ex hâc regione erupiſſe teſtantur. 2. Addere poſſum polygamiam Americanarum gentium, quarum magnum catalogum contexit ipſe Latius p. 210. I. ſi 3. regionum ſalubritatem & profluentem ex eâ longævitatem appoſuero forſan non erraverim. Jam conſideret mihi quiſpiam intra annos CCXV. duos ferè hominũ milliones natos eſſe ex unica Jacobi familia, & facile videbit, quid intra bis mille annos & ultra apud Antipodes fieri potuerit. Si quis verò ſpecialem in allato exemplo Dei benedictionem objecerit, huic & numerus familiarum & decuplo major anorum numerus defectum facillimè ſupplebunt.

III. Ne regionum quidem vaſtitas Latium juvare poterit, ut iis implendis aliquot millenarii annorum requirantur. Ne noſter quidem orbis hoc primum ſeculo in eum excrevit colonorum numerum quem nunc videmus. Jam mille & ultra anni ſunt ex quo ipſi Germani noſtri totam ferè Europam, ſuccreſcentis ſobolis multitudine inundarunt, ut nõ immeritò quæratur, cur priſca illa noſtratium fœcunditas hodiè evanuerit? non nemine modernam luxuriam accuſante. *Barclajus Icon: anim: cap: 8. p. m. 165.* Denique ſi particulare diluvium oppreſſit Atlantidem noſtram, quo maxima pars inclinat, ipſo momento evaneſcet argumentum à multitudine incolarum ad probandam anti-

 qui-

quitatem deductũ. Videbit enim Latius, potuiſſe Americanos in tot excreſcere myriades paucioribus annis.

IV. Rudera quoque Mexicana & Peruana parum nos movent, nec ab illorũ inſanis ſtructuris ſeculorum quoque ſitus pendebit. Antiqua rudera ſint oportet, quæ bis mille annorum fidẽ ſibi conciliaverint, Et vel ex ſacris patet, Architectonices laude Tyrios jam Salomonis tempore excelluiſſe, quorum poſteri demũ Carthaginem condidêre, cui Antichthones noſtri magna ex parte originem ſuam debent.

V. Sed hæc contra argumenta Latii. Si noſtræ aſſertionis argumenta exſpectantur, dico, ne credibile quidem eſſe homines, qui ſuum orbem nondum ſatis noverant, ne dicam implere poterant, neglectis temperatiſſimę Zonæ regionib9 Americam petiiſſe per loca æterno dãnata gelu, æternis obſita nivib9 (alia n. via in naviũ tùm tẽporis defectu nulla Aſiaticis patuit niſi extremus ille ſeptentionis angulus ad promontorium Tabin). In Armenis montibus, aut, ut alii volunt, in Imao hæſit illa humani generis reparatrix arca. Si quæris in quam oram gentes ab hâc effuſę ſint, ipſam Armeniam nomino & Chaldæam, & Perſiam & Palæſtinã, & Ægyptũ & finitimas regiones. Teſtis eſt ipſa Script. S. Vide quanto ſtudio temperatiores petierint Zonas! Illex fuit & fertiliorum & propinquiorum & vacuarum commoditas. Maxima pars in Babylonia ipſis deleti Paradiſi ruderibus, ſecundũ graviſſimos autores, conſediſſe oſtenditur ex initio regni Aſſyriaci, cùm primus Nimrodus multitudinem coactam imperio ſuo ſubjicere auſus eſſet. Prolixiora hæc forſan quàm opus fuerit. Sed noluimus abſque evidentiſſimis rationibus â tanto Viro diſſentire.

VI. Ad Salomonem jam noſtra deflectit oratio. Hunc n. magno conatu Americæ noſtræ ſub nomine Ophiranarum navigationum aſſerere conantur magni viri: Columbus, Stephanus, Genebrardus, Vatablus, Arias Montanus, Becanus, Poſtellus, Marinus, Poſſevinus, Zvvingerus, Eugubinus Martyr, Alſtedius, Pineda & cum Hornio noſtratium nonnulli. Arduum, fateor, tot tantisque viris contradicere: ſed inſolens quoque in Philoſophia violentiæ genus autoritatum numero rationes obruere. Et, ſi vel maximè iſtis copiis quispiam nobis moleſtiam faceſſere voluerit,

ex noſtris

ex noſtris caſtris in aciem producemus Joſephũ, Gloſſam ordinariam, Lyranum, Theodoretum Cyrenenſem, Nicetam, Procopium, Hieronymum, Riberam, Pererium, Reuchlinum, Tornicllum, Adrichomium, Forſterum, Buxtorfium, Mercerum, Brentium, Glaſſium, Buntingium & alios quam plurimos, viros nec numero nec autoritate contrariæ parti cedentes. Sive igitur copiis decertandum, ſive armorum bonitate, utrobique vicimus. Ne exſpectetis jam dum argumenta noſtra prodeant. Intus transigetur, ſi quid eſt quod reſtet. Factum iſtud ſæpius jam ab aliis, & nauſeam movet crambe toties recocta.

VII. Cum ſolo Hornio nobis hâc vice res erit *qui cap. 8. lib. 2. p. 92* pro adverſariis aciem ſuam explicat. Hic longo verborũ ambitu, verecundiæ forſan vapulaturæ vindicias ſi ſcriberẽ, temporis penuria metuenda eſſet. Submoveat vulgus à majeſtate & principum ſupercilium & lictorum ambitioſa ſedulitas. Nobis certè philoſophantiũ libertas aditum aperiet. Inviti ab hoc duce noſtro deflectimus non ingrati. Ne ipſum quidem Mercurium per dubios anfractus ſequerer, omiſſâ tritiore & meliore via. Ac cætera quidẽ de Tarteſſo Hiſpaniæ, & mercibus Ophiranis miſſa facio. Nihil n. in hanc rem dici poterit quod nõ dictum ſit prius. Illã de [illegible] פרוים ſententiam quam *pag: 9. & 69.* defendit utraque manu grati amplectimur. America n. (quod ibi aſſerit ex Garcilaſſo de la Vega, homine Americano, ex antiquâ Regum Peruanorum propagine oriundo, & magnæ in antiquitatibus majorum ſuorum fidei) tantum abeſt ut hoc nomine Salomonis tempore unquam appellata fuerit, quin potiꝰ â piſcatore quodam Berũ vel Biru iſtud quicquid eſt nominis obtinuit. Tahuantiſuyo olim nomẽ erat Peruviæ. Rogatus a. piſcator iſte â primis ejus terræ inventoribus quodnam regioni nomen eſſet ſuum ignarus fortè linguæ interrogantis ſubſtituit.

VIII. Illud ſaltem notatu dignum erit quòd claſſem Salomoneam per mare Mediterraneum deducens, Vatablũ & Ariam propinquiorem viam ad Indos Orientales per mare rubrũ oſtendentes, his verbis refutare voluit. *Quaſi breviora ſemper & non tutiora itinera ſequeremur. Porrò mediterraneum mare illâ ætate infeſtum piratis fuit & in Cretenſium, Rhodiorum, Tyrrhenorũ, Carthaginenſium*

ginenſium ac Hiſpanorum poteſtate. Quid hoc eſt? ſiccine mare piratis infeſtum reddimus & tamen claſſem per te'a per ignes deducimus? Hoccine eſt tutiora itinera ſequi? Non litigabo jam quod Carthaginenſium piratas, & quidem potentiſſime claſſi metuendos ante ipſam Carthaginem ſibi ſculpſit, *Dido n.* inquit, *Carthaginem prima non ſtruxit ſed inſtauravit & auxit.* Reclamat hîc omnium hiſtoricorum fides. Sed (decedam n. de jure meo) ſi Carthago omninò tum temporis non ſolum condita, ſed & in mari potens fuit, cur metueret illam, non dicam tanta, ſed amica Salomonis claſſis. Tyrii n. Carthaginenſium conditores cum navibus Hirami (ut ipſe ait) aderant, & ſi amici fuerunt Pœni, cur Cretenſes & reliquos formidaret? Pag: quoque 95. & 99. videtur ſibi apertè contradicere, dum Tharſis quamvis longè diſſitam regionem ſignificare, modò negat modò affirmat.

IX. Sed jam remota ſunt obſtacula & exſpectatur fortè noſtra ſententia. Redimus in gratiam cum Hornio noſtro & ipſius verbis reſpondemus; *Poſt diluvium, ex noſtro orbe, terra, mari, caſu, conſilio, diverſis temporibus & animalia & homines in Americam tranſiiſſe.* Si quis verò importuniùs urgeret deciſionẽ quæſtionis noſtræ, quando nimirum moderni Antipodes primũ tranſierint? tueri quidem nos poſſemus ipſa obſcuriſſimarũ rerũ ignorantiâ, ſed, quia frigidiuſculum foret tantorum virorum deſtruxiſſe ſententias & nullam planè ponere, reſpondemus: factũ id eſſe poſt diluvium Noachi tempore ſatis longo. Probo illud ex Diodoro Siculo *lib. V. cap: 20.* ubi memorat Phœnices poſt conditas demum Gades in Americam diu ignoratam (credebatur n. diluvio Atlantico planè periiſſe) primùm abreptos. Jã verò Gades ſunt colonia Tyriorum *Plin: lib: V. natur. hiſt: cap: 19.* Hæc verò â Sidonis condita eſt poſt bellum denique Trojanũ, tempore Judicum. Deinde vel ſeculi aut plurium annorum res eſt in eam potentiam excreſcere ut totius maris mediterranei ad Gades usq; imperium affectare cuipiam liceat. Tandẽ nec Diodorus qvidem ſtatim poſt conditas Gades, in Atlantida perventũ eſſe ait. Perpendantur hæc omnia & non procul aberimus â Carthagine noſtra, quam Anno M. 3073. conditam eſſe ajunt.

X. Nunc pone, ſi lubet (nolo n. emendicata ſuffragia) aut hoc tempore, aut etiam paulò ante Phœnicibus Americam

innotuiſſe

innotuiſſe,& habebis ad annũ usque 1492. quo ipſo â Chriſtophoro Columbo Ligure inventa fuit, bis mille & 400. circiter annos, quod ipſum tempus, ſi ad producendam innumerabilem Antipodũ multitudinẽ nõ ſufficit, nullũ planè ſufficit; ſi vel ſoli Phœnices, exclusâ cœterarũ gentiũ numeroſiſſimâ illuvie, illã ſibi excolendã reſervaſſent. Nova hæc opinio cuipiam videbitur; & quæ tibicinibus innitatur nõ adeò firmis. Sed quid agerem? Arripiendum erat in tàm pertinaci hiſtoricorum ſilentio ſaltem probabile argumentum. Diſpiciat hac in re, qui tâm cernit acutum, quàm aut aquila, aut ſerpens Epidaurius. Nos pergimus.

QVAESTIO SECUNDA.

Quinam homines & per quas vias in Americam venerint?

Rejiciuntur I. Iudæi cum Eſra. Benjamin Tudelenſis. Menaſſe Ben Iſraël. Decem tribus quo pervenerint? Circumciſio Americanorum unde? II. Cananæi. Refutatur Leſcarbotus & Hornius. Admittuntur. I. Atlantii. Gorgades reliquiæ Atlantidis Platonicæ. II. Phœnices. III. Scythæ. Fretum Anian. IV. Cambri. Excluduntur nonnulli. V. Chinenſes.

I. Ardua fuit præcedens quæſtio & ſalebroſa, ſed intricatior hæc ipſa. *Facilius n. eſt*, ut cum Acoſta loquar, *refellere, quæ falsò traduntur de origine gentium Americanarum, quàm determinare veritatem.* Multæ gentes ex noſtro orbe deducuntur in novum, quæ pro origine ſuâ nihil præter conjecturas afferre poſſunt abſurdas, frivolas, incertas. Ex Aſia, Europa, Africa & terris polaribus; ſed nõ pari ſucceſſu, migrationes factas eſſe autores autumant. Eliminandæ erunt ex unaquaque parte nõnullæ. Primum locum non immeritò ſibi Aſia vendicat, quippe quæ maximam colonorum partem transmiſit. Sed falsò ex eadem ablegantur I. Decem Iſraelitarum tribus ab Aſſyriis in longa exilia deportatæ.

II. Fundamentum totius erroris deſumitur *ex lib. 4. Eſdræ* Apocrypho; qui nihil ferè præter mera ſomnia narrat. Verba quæ ad probandam Antichthonum originem Judaicam trahũtur exſtant *cap. 13. v. 40. 41. 42.* ubi dicitur: *decem tribus â Salmanaſſare Aſſyrio abductas, cõſilio facto abiiſſe trans Euphratẽ, aquas ſuas miraculo reprimentẽ, & profectos eſſe initere anni unius & dimidii in remotiſſimam regionem Arſareth, ut hoc modo, procul à gentibus*

legem

legem Dei obſervare poſſent. Sed vigilans forte ſomniat iſte, qvicunque tandem fuerit, Esra. Nota ſunt propudioſa Judæorum mendacia, quæ Apellis ſolis credenda remittimus. Quamprimum n. vaticinio illo Jacobi, de ſceptro Judæis ante adventum Meſsiæ non auferendo, premuntur ad amnem Sabbathicum (qui tamen in Syria eſt, teſte *Plinio lib. 31. cap. 2. & Joſepho lib. 7. de bell. Jud.*) incepti confugiunt, & ultra mare Caſpium fabuloſa Iſraëlitarum regna ædificant.

III. Benjamin Tudelenſis Jonæ filius, è Verparum gente, multa ſuæ gentis examina ſe reperiſſe in itinere Aſiatico ſtrenuè mentitur, quæ imprimis in urbe Bagdat, ſub imperio Muhammedanorum, ſuos ipſa principes haberent, & quidem (tàm ſvaviter cornicatur ille) ex Genealogia Davidis. *Conf. p. 123. 129. &c.* hujus itinerarii. Abraham Peritſol, in libello ſuo Orchod Olam nuncium etiam ab iſtis Iſraëlitis veniſſe ait ad Pōtificem Romanum qui ſuppetias contra Saracenos ad recuperanda Hieroſolyma impetraret. Imprimis verò Menaſſe Ben Iſraël, in ſpe Iſraëlis, ex relatione Antonii Mōtezini Judęi, *Iſraelitas primos ex Tartaria in Americam veniſſe, poſtmodùm v. à Tartaris ultra montes Cordilleros rejectos eſſe fabulatur.* Sed hæc jamdudum refutata ſunt ab aliis. *Vid. Torniell. Annal. ſacrar. ad annum M. 1931. Acoſtam, Edvardum Berevvoodi in disquiſit. lingv. & Relig. Dn. D. VValtherum in Exercit. Bibl. cap. 22. p.* 113. Quin ipſi Judæi diſſentiunt, quos vide apud Conſtantinū L'Empereur, in pręfatione Itinerarii Benjaminis. Id ſanè mirandum, fuiſſe inter Chriſtianos, qui fabulis hiſce credulitatem ſuam addicere non dubitaverint, inter quos eſt Genebrardus *Chronol. lib. I.* & Thevetus. Novimus equidem ex ſacris literis, tribus iſtas in Mediam & Aſſyriam deportatas, quo verò tandem pervenerint, nondum ſatis conſtat. Ipſe David Kimchi ſuper Jer. 31, 15. negat expreſsè *locum ſciri poſſe ubi ſint hodiè X. tribus.* Probabilisſimum eſt, dicere: coaluiſſe eas temporum diuturnitate cum Tartaris & vicinis gentilibus. De Judæis certè, qui in Babylonia remanſerant, legimus Eſth. 8. diſperſos fuiſſe in omnes provincias regni Aſſyriaci, ab Ægypto

usq;

usq; ad Indiam. Quid v. impedit, aut *Iſraelitas* ſub eorum nomine comprehendere, aut quis negabit idem de ipſis factũ eſſe? At, inquis, Circumciſionis ritus apud Jucatanenſes obtinuit, teſte Martyre Anglerio *decad. 4. cap. 1.* Item apud Americanos alios *cap. 3.* Sed ſtrenuè id pernegat Latius & alii. Et, ſi vel maximè concederemus: circumciſos fuiſſe omnino aliquos Americanorum, notum tamen eſt quàm latè olim circumciſio patuerit. Diodorus Colchis illam tribuit, Strabo Trogloditis, alii aliis. & Eſth. 8, 17. dicuntur multæ gentes Judaizaſſe. Deniq;, ut liberales etiam ſimus, non adeò refragabimur; ſi quis Judæorum aliquos in Americam veniſſe ſtatuat, dummodo concedat, iſtud factum eſſe, poſtquam religio ipſorum cum ipſo nomine exoleverat & illi cum Tartaris coaluerant. Hos verò illorum progeniem eſſe nemo facile dixerit, qui noverit, quàm latè ſe effundat Tartarorũ & Scytharum nomen. Circumciſio, quâ hodienum Tartari utuntur, cum Muhammediſmo demum ſuſcepta eſt, atq; id ipſum non apud omnes. Conſtat enim ad Obium flumen, & alibi plurimos adhuc ſupereſſe idololatras. Hęc de Judęis.

V. Jam cum Cananæis nobis res erit, quos præter Lerium & Gomaram, Leſcarbotus quoq; metu Joſuæ profugiſſe, & ad Antipodes usque tempeſtatibus expulſos eſſe ait. Sed magna ſanè & diuturna fuerit oportet tempeſtas, quæ Cananæos iſtos, ab ultima maris Mediterranei ora, per Gadium fauces ſine naufragio, ad Americam usq; expulerit. Quis non videt vanitatem? Sed ne absq; rationibus rem tantam aſſeruiſſe videretur Leſcarbotus, pro ſe Apocryphum *Sap. 12. 4, 5.* allegat. ubi Cananæi leguntur *fuiſſe comeſtores viſcerum humanorum*, in America verò plurimos tales eſſe. Ergo. Per bella ſanè conſequentia! Præterquam n. quod Canonica Scriptura nihil tale de Cananæis memorat: quid impedit, Antropophagos ex promontorio Tabin, ubi â Plinio collocantur *lib. 6. cap. 17. & 30.* arceſſere? Sed leviora ſunt iſthæc, & proletariis armis facilè profligari poterunt.

VI. Hornius noſter eandem ſententiam prolixè tuta-

tur, ſed melioribus argumentis, per totum *cap. III. IV. V.* Et ſatis quidem omnia placent, niſi quod mallem, Phœnicum nomine contentus, ſpeciali gentium Cananæarum enumeratione abſtinuiſſet. Phœnicia n. vocatur maritima regio Cananææ verſus ſeptentrionem, ut non opus fuerit Jebuſæos, Madianitas, Gergiſæos, Ammonitas &c. qui mediterranea fere & trans Jordanem loco incolebant, ad Antipodes relegare. Madianitæ ad mare rubrum habitavere: quomodo ergò per mediterraneum fugere potuerunt? Non niſi per vaſtas Arabiæ ſolitudines, per mediam Canaan, imò medios Iſraëlitas, quos fugibant, id fieri potuit. Et quomodo illi ſub nomine Phœnicum cenſeri potuerunt, qui ne pars quidem Cananææ unquam fuerunt? Veſtigia quoq; illorum nominum, quæ in Aſia & alibi reperiuntur tàm facilè ab appellativis Phœnicum vocabulis derivari poterunt, quàm â propriis. Cananæos tamen quosdã ex metu aufugiſſe; imprimis verò Phœnices, non adeò negavero. In Americam verò veniſſe non illi ipſi, ſed ipſorum poſteri, qui non fugerant, memorantur.

VII. Nec illud placet, quod de Ogyge ſive Agenore affert, quem cum Og Rege Baſanis eundem eſſe putat. Antiquior eſt Ogyges, ſub quo diluvium fuit, quàm ut id credi poſſit: niſi forte Judæorum fabulis nos tutari voluerimus, qui hũc Og, beneficio ſtupẽdæ vaſtitatis, ſervatum eſſe in diluvio ajunt. Nec deſunt qui Noã ipsũ per Ogygẽ intelligi velint rationibꝰ ducti ſatis cõmodis. Sed hæc ad nos nõ ſpectãt. Alii An. M. 2989. in Attica regnaſſe ajũt, ut ita Jacobo σύγχρονος fuerit. Nec probabilis illa de Chedraneach ſive Carthagine Plautina cõjectura, quaſi ab Enakim ædificata & appellata fuerit, quos Hebrone Iſraëlitæ expulerant. Locus n. *Jud. 1, 20.* quem citat nihil probat. Quid n. per expulſionem iſtam intelligi debeat, ex verſu 10. ejuſdem capitis ſatis apparet.

VIII. Sed jam tempus eſt, ut oſtendamus: quinam omnium primi Americam noſtram incoluerint. Plato Philoſophorum princeps Atlantios nominat, ſed qui ſubito terræ motu & inundatione oppreſſi fuerint. Et reſtat ſanè ejusdem diluvii, apud

pud Americanos ipſos feralis memoria. Notatu dignisſimum eſt, quod Martyr ex illorum relatione refert : *Innumerabiles Mexicani ſinus Inſulas, Cubam ſcil. Hiſpaniolam, Jamaicam &c. continentem olim unam fuiſſe, labentibus verò ſeculis, vi tempeſtatis avulſas.* Ejusdem rei apud Haitanos ſ. Spanniolæ incolas & Malabares mentionem fieri aſſerunt. Quid ſi Atlantidos noſtræ pars olim fuerint ipſę Heſperides? ſanè, quod Plato noſter aſſerit, abſorpta undis inſulâ, mare illud ob luti illuviem difficile trajectu factum fuiſſe, illud vel maximè apud Heſperides hodienum ita ſe habere compertum eſt. Sargoſſam vocant Luſitani gramen illud marinum quod, 200. miliaria ab inſulis iſtis in mare Atlanticum exporrigitur, adeò ut ipſum illud mare Luſitanis dicatur mare di Sargoſſa. *vid. Clariſſ. Schulteſii Synopſin Geogr. p. 422.* Deinde, ſi ad oppoſitum Pariæ littus & Cannibalum inſulas perveneris, eadem difficultas navigantem excipiet. Alga n. vaſtisſima ſpatia ad Floridam usq; occupat ita, ut ſecuribus via ſit aperiẽda, teſte Lerio in hiſt. navig. in Braſil: p. 315. & in prato quodam te navigare putes. Conf. Hulſium in navig. p. 65. & Linſchot. in itin: cap. 95. Et hâc in parte quâ Africam ſpectat America, factam eſſe jacturam Atlantidos ne dubium quidem eſt. Situs quoq; inſulam ſemicircularis, tacitè quaſi innuere videtur, eſſe illas fragmenta cujusdam promontorij.

IX. At vaſta, inquis, fuerit illuvies, & ſine exemplo, quę tantum terrarum tractum abſciderit? Concedo. Talis etiam ab ipſo Platone deſcribitur; & vel ex eo patet, quod creditum fuerit â noſtri orbis incolis Inſulam hãc tum temporis diluvii, & terræ motus inſanâ violentiâ, penitùs abſorptam, atque è rerum naturâ ſublatam fuiſſe. ἡ τε Ατλαντὶς νῆσος ὡσαύτως κατὰ τῆς θαλάσσης δῦσα ἠφανίσθη inquit Philoſophus noſter in Timæo. Hæc ſi conceduntur, facilius utique fuerit cũ Hornio noſtro (Phœnices tn., quos ille cũ Atlantiis permixtos tranſiiſſe aſſerit, ut recentiores excluſos malim) & cum Clariſſ. Linemanno Calend: *Geogr. Delic.* ipſos Atlantios, quos in extrema Africæ Occidentalis parte habitaſſe notum eſt, in Atlantidam ſuam

tranſportare: Bidui n. ſaltem navigatione â continente iſto diſtant Heſperides. *Solin: Polyhiſt. cap 60.* Sed conjectura ſaltē hæç eſt, & quidē nova & ſatis ſpecioſa. Viderint alii, quid de eâ re ſtatuendum ſit. Ego quidem non adeò abſurdam eſſe putaverim. Conferat, qui volet Hornium noſtrum, de diluvio iſto cap. 6. eruditisſimè diſſerentem, ut & Nierenbergium *lib. V. hiſt. natur. cap. 2.* & forſan aſſenſum aliquē merebimur. Nos hâc quidem vice de iis ſaltem coloniis ſolliciti ſumus, quæ poſt diluvium iſtud Atlanticum in Americam traductæ ſunt.

X. Primi itaque & omnium antiquiſſimi, uti jam quæſt: I. probatum eſt, Americæ habitatores fuere Phœnices (Cananæorum n. nomen parum abeſt quin deprecer) Illi n jam ab antiquiſſimis temporibus rerum nauticarum peritiſſimi ſemper habiti ſunt. Hos ſecuti ſunt Carthaginenſes. Famoſa eſt Hannonis Pœni navigatio, qui totam Africam circumvectus, & ſuperato B. Spei promontorio, ad fines usque Arabiæ evaſit, & eodem tempore Himilico â Carthaginenſibus miſſus eſt, ut extremâ Europæ noſceret, teſte *Plinio lib: 2. cap. 69.*

XI. Invident hanc Carthaginenſibus gloriam Luſitani qui Vaſcum deniq; Gamam Anno 1497. alii 1498. Africam totam primô circumvectum eſſe aſſerunt, & Varerius in ſuo de Ophir Commētario mirè ſe torquet ut elevare fidem talium navigationum Punicarū, aut ſaltē caſu qvodā non cōſilio factas eſſe probare poſſit; verū n. verò ut taceā ſtupendas Regū Ægyptiorū expeditiones de quib9 *Diodor: Sicul: lib: I.* legēdus: ut nihil dicā de Eudoxo Nepotis aut aliis, certe Seneca Hispanus autor *natural. quæſt: lib.* contemptim quaſi de tali navigatione loquitur cum ait: *Quantum eſt quod ab ultimis littoribus Hiſpaniæ usq; ad Indos jacet? pauciſſimorum dierum ſpatium, ſi navem ſuus ventus implebit.* Quamvis n. iſta comparatè dicantur reſpectu ſcil: 30. annorum, quos Saturnus periodo ſuâ conficit; tamen colligere ex eo facile poſſumus, nō adeò infrequens fuiſſe tùm tēporis, â Gadibus in Indiam navigare, & facilior hâc ipſa per Oceanum Atlanticū in Americam via. Facilè itaque fieri potuit, ut naves Phœnicum in Zonâ torridam delatæ, â ventis orientalibus, quos Briſas vocant, & in iſta

Zona

Zona continuo flatu ſpirant, adeò ut vix opus unquam ſit vela tangere, in oppoſitam Americam recta abriperentur. Et quid multa? teſtem habemus Diodorum Siculum, quem jam citavimus, & alios, quos allegare in re tàm clara ſupervacaneum putamus. Videatur imprimis Clariſſ: Hornius *cap. 10. 11. & ſequ:* ubi ex reſiduis lingvæ, religionis & morum veſtigiis Punicam Americanorum originem eruditiſſimè probat.

XII. Sed ſatis jam de Phœnicibus. Ad Scytharum gentem jam tranſeundum erit. Maximâ has gentes multitudine Americam inundaſſe argumenta evidentiſſima probant. Vid: Horn. lib: III. Illud ſaltem notari volumus, quod hodienum in ſeptentrionali America, quâ Aſiā ſpectat, Nomadum s. Tartarorum in morē, Barbari ſub mapaliorum umbra agant, & ambulatorium, ut ita dicam, vitæ genus elegerint. Generale vero Scytharum nomen magnam gentium diverſarum complectitur colluviem, quę glacialem Oceanū, per totā Aſiam & non exiguam Europæ partem, latiſſimo terrarum tractu accolunt. Et ab his prodigioſa illa in Novo orbe lingvarū multitudo propagata ferè eſt. Ac cœtera quidem omnia ſatis eruditè ab Hornio noſtro traduntur, de viâ ſaltem atque aditu nonnulla erunt monenda.

XIII. Dico igitur, tùm ex Aſiâ, tùm per ultimas Europæ aut polarium terrarum oras, patuiſſe his gentibus viam ad Antipodes. Aſia an alicubi cùm America in partibus ſeptentrinalioribus planè conjungatur, an verò freto aliquo non ita lato dividatur, incertum ad huc eſt. Maxima pars Geographorum, fretum Anian inter utramque collocant: quis verò primus ejus rei autor fuerit nondum conſtat. Nec de latitudine quidem conveniunt. Nōnulli n. 60. milliaria Germanica numerant *cū Schulteſio p. 445. Synopſi Geogr*: alii unicum ſaltem milliare Anglicum cum *Fullero in miſcell:* ſed, ſive freto ſeparētur terræ, ſive cohæreant, nobis perindè eſt. Ex ipſo n. eventu ſecurè judicare poſſumus, eſſe ibi locorum aliquam, per quam America adiri potuerit viam. Tota America & ſeptentrionalis maximè Leonum cervorum & tigridum multitudine repleta eſt, quæ animantia cùm nec in Gronlandia, nec Magellanica reperiantur; neceſſe eſt, ut ex Tartaria

ad

adveneriut, quam ex M. Paulo Veneto iſtis abundare novimus. Et monſtroſa illa, noſtroque orbi incognita ferè animalia quis aliunde adveniſſe putet, quàm ex Tartariæ incognitis etiam locis? Deinde, ſi fretum aliquod conceditur, veriſimile eſt, aut illud ipſũ glacie conſtringi, aut ubi recedentia utrobique littora ferveſcentibus in arcto fluctibus ſtagnandi ſpatium permittunt.

XIV. Pedeſtri ergô itinere tranſire potuerunt cum ipſis hominibus beſtiæ quoque. Qui Tartaricæ originis indicia apud Antipodes quærere voluerit, adeat ipſum Hornium lib. III. cap. 14. & 15. Nos poſt Homerum Iliada nullam ſcribimus. Nec abſonum eſt per Novam Zemblam, Gronlandiam & Arcticas terras viam quæſitam eſſe. Certè in ipſâ Gronlandia hodieque homines inveniuntur, qui Tartaris Samojedis & Americanis vultu lingua, moribus perquã ſimiles ſunt. Martinus quoque Forbiſſerus; cùm viam per Americanum Septentrionem quæreret, quæ Batavis in Aſiatico non ſucceſſerat, invenit ad fretum ſui nominis Barbaros homines *latâ facie, depreſſis & ſimis naribus, longo & nigro capillitio, colore olivaſtro*, quæ omnia ad amuſſim Tartaricam originem referunt. Quæ verò â Grotio contra Scythas allata ſunt jamdudum refutarunt Latius & Hornius.

XV. Ne noſtra quidem Europa planè ἀζύμβολος diſceſſit. Notum n. eſt ex Davidis Povvelli Hiſtoria Cãbrica (VVallis hodiè vocatur provincia illa Angliæ.) *Anno Chriſti 1170. Madocum quendam, discordias civiles fugientem, relictâ poſt tergum Hiberniâ, verſus Zephyrum navigaſſe; donec incideret in incognitas terras, fæcũdas & amœnas. Reverſum deinde in patriam Cambris quamplurimis perſvaſiſſe; ut relictâ ſterili patriâ naves conſcenderent, & ſecum in terras iſtas abirent.* Jam verò poſt Hiberniam nullæ amœnæ & fertiles occurrunt regiones verſus Zephyrum, præter Americam ſeptentrionalem, in quâ â Virginianis Madec quispiam tanquam heros colitur. Vid. *Martyr. Dec: VII. cap. 3.*

XVI. De Romanis, Friſiis, Celtis & aliis qui ex eâdem Europa ablegantur, non opus eſt ut multa dicamus. Nec n. cũ larvis depugnare animus eſt. Citò gloria obſoleſcit in infirmis hoſtibus. Hiſpanos tn. ſi quis cum Latio tranſportare voluerit non adeò repugnavero. Conjecturis tn. agendum eſt, & nulla lingvæ Can-

ta-

fabricæ apud Americanos veſtigia. Idem judicium eſto de iſtis, quos Grotius ex Java & Gilolo in novam Gvineam, & poſtea immenſo tractu ad fretum usque Magellanicum, imô tandem in ipsâ Americam deducit, gigantibus. Addo: non opus fuiſſe, ut Grotius tàm longa Aſiaticis Gigantibus exilia imponeret, cùm propior Europæis ex Svecia, de quibus *Vid: Olaum M. lib: 5.* via non defuerit. Novam tn. Gvineam innumerabiles hominum catervas alere Petrus Ferdināđ. de la Quir, qui ſuis ſumtibus littora ejus exploravit, in relatione de terra Auſtrali, ad Regem Hispaniæ aſſerit, ſed vereor, ut in omnibus fidem inveniat apud eruditos.

XVII. Noviſſimè omnium in Americam veniſſe memorantur Chinenſes; & condidiſſe regna illa Mexicanorum & Peruanorum. Probat id Hornius contra Latium & Brerevvoodum ex eo argumento; qvia non credibile ſit cultiſſimas has gentes &, magnificentiam, in artibus præſertim mechanicis, admirandam, ex Tartarorum aut Hamaxobiorum ſordibus emerſiſſe. Sed non ſolos Tartaros in eas terras veniſſe, vel ipſe concedet Hornius; & jam ſupra dictum eſt, de Charthaginenſium hâc in parte dexteritate. Res tamen ipſa non diſplicet. Concedo lubentiſſimè tot indiciis convictus, tranſiiſſe ex Cathaja, Sina & India orientali quamplurimos in occidentem habitatores. Legatur de peritia Sinenſium in re nautica *Maffejus. in Hiſt: Indica.* Conſtans etiā in ipſa America fama eſt: veniſſe olim in eam mercatores ſerico indutos, qui nulli alii quam Chinenſes eſſe potuerunt.

XVIII. Quin adeò M. Paulus Venetus cum Mendoza in annal: referunt, *circa annum Chrſti. 1268.* (Mendoza habet 1287.) *cùm Tartari magna vi in Chinenſium regnum incumberent, fugiſſe Facfur qvemquiam cum mille navibus, & maximo comitatu in Inſulas inexpugnabiles, inque iis permanſiſſe.* In Japoniam & Javan ſi fugiſſent, procul dubiò, ut ſatis ipſi cognitas, nominaſſet Venetus. In Philippinis a. nulla lingvę aut morum convenientia cum Sinenſibus. Probabiliùs qvispiam Novam Gvineam objiceret; niſi in ipſa America tā clara & evidentia Chinenſium occurrerent indicia de quibus vide ſodes ipſum Horniū. lib. VI. De Æthiopibus nihil eſt quod dicamus; aut n. nulli, quod Latius vult, aut admodum pauci in Americam tranſierunt; & Grotiꝰ cùm Abyſſinis ſuis jādudum

dum

dum à Latiò ejectus eſt. Nec de Norvvagis ſatis adhuc convenit inter autores. Tantum de ſecunda quæſtione. Ad tertiam nos accingimus.

QVAESTIO TERTIA

An America priſcis nota fuerit?

Rejiciuntur teſtimonia Poëtica Homeri, Senecæ, Virgilii. Explicatur hujus locus. Allegatur & defenditur Plato. Adducuntur Ariſtoteles, Diodorus Siculus, AElianus, Seneca Rhetor, Clemens Romanus. Nova proponitur quæſtio; de Evangelii in America fama. Refutatur Latius. Veſtigia religionis noſtræ apud Antipodes.

§. 1. Dubitatum hâc de re â multis fuit, & miror fuiſſe, cùm tam luculenta veterum exſtent teſtimonia. Ac de Aſiaticis quidem qui fretum illud Anian accolunt, nihil dicam. Nemo n. facile negaverit illos terræ tam propinquæ cognitionem habuiſſe. De Europæis nobis potiſſimùm ſermo erit. Ac primo quidem Poëtas miſſos faciam, qui aliàs pro noſtra ſententia adduci ſolent. Parũ n. mihi rem tantam probare videntur. Quis enim Homeri Æthiopas alius in America qværeret? Inveniet hodienum præter Hiſpanorum advectitia mancipia, aut planè nullos, aut perquàm paucos, quos recenter illuc delatos eſſe ex ipſa paucitate colligimus. Quis crederet Thulen Senecæ ultimam terrarum manſiſſe, niſi America inventa eſſet? Ultra illam jam Gronlandiam habemus, & de tractu ſeptentrionali loquitur Seneca, in quo Thule non ultima olim futura ſit. Si Gades nominaſſet aut Fortunatas, ultimum, tùm temporis, ad occidentem finem, forſan nemo litigaret. Quis ſibi perſuadere conaretur; tellurem illam, quam *extra anni ſolisque vias* i. eſt extra Zodiacum (ita n. interpretantur) jacere ait Virgilius, eſſe Americam? An America etiam extra Zodiacum? Non affirmabit, qui tabulam inſpexerit. Commodiùs fortè de Britannia explicabitur, aut, ſi cui hoc minus arriſerit, auguria fortè Poeta claſſi Auguſteæ præmiſit, quæ, notante Plinio *lib: 2. cap. 69.* Germaniam prætervecta, ultra Cimmerium promontorium pervenit. Cimbri verò & Cimmerii antiquitùs confundebantur, *Plutarch: in Mario.* De Cimmeriis ergò tenebris locus intelligendus erit. Quæ de Atlante adduntur, commodè explicari poterunt ex *Plinii lib. 4. cap. 12.* ubi apud Cimmerios cardines mundi extremosque ſiderum ambitus ponit. Vide carmen Pedonis,

men Pedonis, quod de Germanici navigatione compoſuit, & ſimilia ferè invenies. Exſtat illud apud Senecam in ſvaſoriis. Et quid multa?

Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis
Tempus eget.

Nemo ſpongiis pugnat, qui ferrum habet.

II. Prodeat ergo antiquiſſimus teſtis Plato. Tradit is in Critia & Timæo Dialogis: *Soloni ab Ægyptiorum Sacerdote Saitico (Zoan Hebræorum, vulgò putant eſſe) memoratum fuiſſe: Extitiſſe olim, ultra columnas Herculis Inſulam quandam, in mari Atlantico Lybiâ atq; Aſiâ majorem, feraciſſimam, divitiis & metallis abundantem &c. Tandē verò illam immani terræ motu, ingentiq; unius diei acnoctis tempeſtate obrutam planè diſparuiſſe, hancq; ob cauſam mare commeantibus innavigabile factum fuiſſe ob lutum, quod ex Inſulæ reliquiis copioſum remanſerit.*

III. Non ignoro quidem, nonnullos inventos fuiſſe, qui totius hujus narrationis fidem elevare & allegorico ſenſu interpretari voluerint. Marſilio Ficino anagogicus placuit, & neſcio quæ ſibi myſteria exſculpſit. *vid. Argument. ejus in Critiam p. 763. edit. Baſil.* Inter noviſſimos Dn. Mareſius in *refut. PræAdam. p. 114.* in fabularum cenſum totam rem collocat. Verum enim verò, ipſe Plato diſertè & ſeriò affirmat: *non ſe fabulam narrare, ſed veram hiſtoriam*, & conſentiunt Marcellus apud Proclum, Strabo, Crantor, primus Homeri interpres. Et quamvis lubentiſſimè concedam, eſſe nonnulla in narratione Platonicâ quæ fidem ſuperent, e. g. decem illa annorum millia, bellatores Atlantici & alia, quæ in Critia ſ. Atlantico traduntur, iniquiſſimum tamen eſt, id toti cauſæ præjudicio verti, quæ jam ipſo eventu comprobata eſt. Non ignotum eſt; quibus involucris veriſſimæ, & ex ipſa Scra. S. depromptæ hiſtoriæ corruptæ olim fuerint â gentilibus, ut jam nihil dicam: ſolitos fuiſſe olim Ægyptios, communi gentis errore & jactantia 70000 imò 100000 annorum annales conficere, de quibus paſſim apud autores. Non defuerunt tamen, qui in annorum diverſitate ſubſidium quærere, & monſtroſas iſtas Epochas cū noſtro computo conciliare voluerint. *vid. B. Micræl. contra*

PræAdamitam. Sed quicquid tandem ſit; de *nihilo certè non oritur fama.* Deniquè oſtendat mihi qviſpiam ultra Gades, in Atlantico mari aliam Inſulam, Africâ atque Aſiã majorem: & facilè ſententiam mutavero. Notatu dignisſimum eſt, quod Strabo ait; Ægyptum olim magnâ ex parte aquis immerſam & loco freti Herculei Iſthmũ quendam fuiſſe, ita, ut Abyla & Calpe Africam cum Europa cõnecterent; tandem verò vinculum iſtud vi diluvii cujusdam perfractũ, & mediterraneas aquas in Atlanticum Oceanũ ut humiliorem, effuſum eſſe, atque adeò Ægyptum recedentibus undis emerſiſſe. Suſpicari;n. quis poterit: hoc ipſo loco Atlanticum diluvium intelligi, quod iniquiſſimam verſurã fecerit & cũ Ægypti beneficio Atlantidẽ oppreſſerit. Jam Hercules abſolvendus erit, qui iſtius maleficii â Poetis reus agitur: quem Calpem & Abylam perfodiſſe ajunt. Sed hæc aliis cogitanda relinquimus.

IV. Platoni ſuccedat Ariſtoteles, qui in admirandis auditis, *Extra columnas Herculis*, ait, *in mari â Carthaginenſib9 inventam fuiſſe Inſulam, fertilem, fluminibus navigabilibus refertam, diſtantem â continente plurium dierum itinere, deſertam &c. in quâ cum Carthaginenſium quidam ob ſoli fertilitatem connubia agitare ac habitare cœpiſſent: pœna capitis interdixiſſe Carthaginenſium præſides: nequis deinceps inſulam illam ingrederetur, veritos; ne illi aliquando inſulæ dominium ſibi arriperent & Carthaginenſium Rempublicam mari infeſtarent.* Quæcunque tandem hæc inſula fuerit ſ. Hiſpaniola, ut quidam volunt, ſive alia illarum, quas ſinus Mexicanus habet, apparet tamen; ad Americam yeniſſe Pœnorum naves. Quod verò deſertam fuiſſe memorat, credibile eſt, Americam ſeptentrionalem intelligi. Peruviana enim jam anteà â Phœnicibus, quod ſupra oſtendimus, incolas acceperat. Et hinc factum eſt, quod Atlantis noſtra tot ſeculis ignorata fuerit. Sic Fortunatas diu è memoria hominum ſublatas, Wilhelmus deniquè Betancourtius retexit. Sic Gronlandia hodienum etiam fruſtra quæritur per 100. ferè annos amiſſa. Datum id negotii Oliviero Bru-nel, peritisſimo rerum nauticarum ad mandatum Regis Danici, ſed, uti dixi, fruſtra.

V. Diodorus quoque Siçulus hac in parte planè Ari-

ſtoteli

ſtoteli aſſentitur. Narrat enim. *lib. 5. cap. 19. 20. Africam verſꝰ permagnam quandam inſulam, in vaſto Oceani pelago jacere, complurium dierum navigatione â Lybiâ in occaſum declinantem.* Poſteà, cùm eandem â fertilitate & pulchritudine ſummoperè commendaſſet, cap. 20. addit. *Olim propter remotiorem ab orbe reliquo ſitum incognitum fuiſſe, tandem verò â Phœnicibus Africæ littora extra Gades legentibus, (cùm ventorum procellis ad longinquos in Oceano tractus abrepti, & permultos tandem dies, vi tempeſtatis ad Inſulam iſtam ejecti eſſent) iterum inventam fuiſſe. Deniq;,* pergit, “ *cùm famam ejus rei â Phœnicibꝰ aliæ quoq; gentes accepiſſent; Tyrrhenos* (ſed iſtud diu poſt inventionem factum eſſe oportuit) *colo-* “ *niam eò deſtinaſſe, ſed probibitos fuiſſe â Carthaginenſibus, ut, ſi for-* “ *tè aliquando reſpublica eorum exitioſum damnum acciperet, refugiũ ſibi paratum eſſet; in quod cum univerſis familiis transmigrare poſ-* “ *ſent.*

VI. Nec prætereundum quod Ælianus *lib. 3. variar. Hiſtor.* ex Theopompo affert, *narraſſe* ſcil. *aliquando Silenum Midæ; Aſiam, & Africam & Europam eſſe Inſulas Oceano circumfuſas, ſed jacere continentem quendam, extra hunc orbem infinitæ magnitudinis, qui nutriat grandia animalia, homines duplo majores & longæviores quàm noſtri ſint, aurum & argentum, ob infinitam copiam ibi minoris æſtimari quàm apud nos ferrum.* Hæc, ut ut ipſe Ælianus fabulis accenſeat & Latius ſalsè rideat, eventu tamen ipſo probatum eſt non omnia fabuloſa eſſe. Avitus etiam apud Senecam in ſvaſoriis, Fertiles *in Oceano jacere terras, ultraq; Oceanum rurſus alia littora alium naſci orbem,* aſſerit.

VII. Et, nequis tergiverſandi locus ſit, audiamus Clementem Romanum, antiquiſſimum ex Apoſtolorum ſucceſſoribus, qui in Epiſtola ſuâ ad Corinthios (per multos annos hæc “ latuit, ſed tandem ex Ægypto allatam Angli Anno. 1631 ex- “ cuderunt) *Oceanus* inquit, *hominibus imperſcrutabilis, & qui trans ipſum ſunt mundi, iiſdem Domini mandatis gubernantur.* Quinam “ verò illi trans Oceanum mundi? Nulli alii præter Americam “ quam hodieque novum orbem appellamus. Si dubitas, audi etiam D. Hieronymum qui ſuper illud ad Epheſ. II. In quibus “ aliquando ambulaſtis ſecundum ſeculum mundi hujus, inter “ rogat: *Utrùm nam & aliud ſeculum ſit, quod non pertineat ad mun-*

dum iſtum, ſed ad mundos alios, de quibus & Clemens in Epiſtolâ
ſua ſcribat. Oceanus & mundi &c Addo inſuper Origenem *qui*
lib. 2. περὶ ἀρχῶν eadem verba Clementis de Antipodibus expli-
cat. *vide præterea Gregor. Jarziam lib. 1. de orig: Indor. ubi ex Lu-*
ciano, Arriano &c. plura documenta profert. Addere in ſu-
per poſſemus Apulejum de mundo, & Ammianum Marcelli-
num; ſed ſufficiant iſthæc. Jam nugetur mihi quiſpiam de
immenſa Oceani Atlantici vaſtitate, de imperitia navigandi
apud veteres, de defectu pixidis nauticæ, & quę hujus furfuris
alia ſunt. Breviter reſpondeo. Non audio. Notam fuiſſe a-
jo Americam, quomodo innotuerit, ne dicere quidem attinet.
Pergant illi equidem nodum in ſcirpo quærere, & ſolem ſibi o-
ſtendi poſtulent.

VIII. Poſſemus quidem hic mantiſſæ loco ſubnectere
quæſtionem illam quæ ex hactenùs dictis immediatè fluit; *An*
Evangelium Chriſt. etiam ad Antipodes noſtros pervenerit, an-
te Hiſpanorũ adventũ? Negant enim illud quàm plurimi ex Pō-
tificiis & Calvinianis, inter quos nomẽ ſuũ profitetur noſter La-
tius, qui pag. 71. præfractè negat: *aut poſt Chriſtũ natũ aliquẽ in Ame-*
ricã trãſiiſſe, aut ulla ibi Chriſtianiſmi veſtigia reperiri. Sed falsũ u-
trũque eſt. Prius ex jã dictis liquet, poſterius ipſe Hornius con-
tra Latium cap. 15. lib. IV probat, licet & ille lib. I. cap. 4. ſe-
cum quodammodò diſſentiat. Sed mirum non eſt, Calvinianos
cauſæ ſuę hâc in parte velificari, ut Univerſalitatem vocationis
commodiùs infringere queant.

IX. Nos utimur hypotheſibus ipſius Hornii, & gentes
poſt Chriſtum natum in Americam abiiſſe defendimus, & qui-
dem ex eâ mundi parte in quâ jam tempore Apoſtolorum &
brevi poſt Evangelium Chriſti prædicatum eſſe ex *Tertulliano.*
contra Judeos, Theodoreto lib: 9 de curat. Græcor. & aliis liquet
Et quis ignorat; Anno Chriſti 1290. regnaſſe Chriſtianorum
Imperatorem, quem Presbyterum Johannem vulgò nominãt,
in extima Aſiæ ſeptentrionalis parte ſ. Tenduc. Guilielmus
Tripolitanus ad Annum 1098. initia hujus regni refert. *vid. D.*
Phil. Nicolai comment: de regno Chriſti lib. I. cap. 1 pag. mihi 40.
41. &c. Quin ipſe Hornius evidentia iſta Chriſtianæ religio-
nis indicia apud Antichthones ex Cathaja, Japonia & China
deducit

deducit. *Et nominant ipſi Barbari Amidam quendam, qui, pro re-*
dimendo genere humano, dira quædam perpeſſus ſit. Item *virum qui-*
dam ſole lucidiorem in cruce paſſum eſſe, Iucatanenſes aſſerunt. Bapti-
ſmi, Confeſſionis, Trinitatis, Pœnitentiæ, &c. clara apud eos-
dem reſtant indicia. Freti etiam Magellanici accolæ nautas
Chriſtianos expreſſo JESU nomine ſalutarunt, notante libro,
quem vocant Weſt und Oſt Indianiſchen Luſtgarten p. 25.

X. Deinde, ſi vel maximè concederem, nullum Apo-
ſtolorum ad Americanos usque navigaſſe (quamvis apud Bra-
ſilienſes S. Thomæ expreſſa memoria reſtet, fatente ipſo Hor-
nio;) quis negare tamen auſit; *filiam vocis* apud Antipodes ſo-
nuiſſe, aut quis inficiari poterit; in extremo illo Aſiæ Borea-
lis angulo, ubi Americæ vel jungitur vel exiguo freto interla-
bente ſeparatur, quotidiè homines, quibus Evangelium è vici-
nia cognitum eſſe potuit, ultro citroque commeaſſe olim, aut
hodienum commeare? Quid de Tartaris hâc in parte factū ſit
ſupra oſtenſum eſt. Denique licet tot & tanta teſtimonia
nos deficerent, non ſequeretur tamen â defectu teſtimoni-
orum ad negationem rei factæ conſequentia. Adde, quod o-
mnes illi, quorum operâ iſtarū rerum notitia ad nos pervenit, “
aut Hiſpani ſint, aut Luſitani aut Angli aut Batavi, hoc eſt: “
Pontificii & Calviniani. Utrique vineta ſua cædunt, ſi hanc in “
rem multa verba fecerint. Notum eſt, illos, ut characterem “
beſtiæ, â frōte Vejovis Romani delere poſſint, univerſalem per
totum mundum Evangelii prædicationem adhuc exſpectare; “
notum, hos eandem univerſalitatem multis argumentis im- “
pugnare. Quid multa? Qui ſæpè in rem ſuam mentiri ſolent,
facilius veritatem diſſimulare poterunt. Sed manum de tabu-
la. Verendum ne ἀλλοτριοεπισκοπίας poſtulemur. Qui plura de-
ſiderat Acoſtam adeat & Trigautium, & ex noſtratibus Dn.
D. Roberum B. M. *in diſput. de Univerſal. vocat. Anno, 1629. 10.*
Octob. habitam, in quâ quæſtio iſta, ad calcem diſput.
fuſiùs tractatur.

SOLI DEO GLORIA.

Ignea vis animi, quę Te commendat abundè,
Mi RABNERE, jubet Te penetrare ſinus
AMERICÆ, & quæ ſit populorum tradis origo;
Tranſit ad Antichthones ſic Tua Muſa Tuos!
Cognita non curas Europæ littora; ad Indos
Pluribus ignotos Te Tua cura trahit.
Matetnis Europa quidem Te jam fovet ulnis,
Ultra fama volat. Te bonus omnis amat..

Suo proper:
Applaudit
M. Heinricus Baumann.
Coll: Phil. Adjunct.

Invideant alii noſtris Rabnere, Camœnis
Oblatrent, latrent. Serpens ſitis ardor arenæ
Dulcia virtuti. Doctos modò redde labores,
queîs luſtras populos quorum veſtigia noſtris
Sunt adverſa: Tuæ reſidet meditatio, menti
Hæc melior! noſtris in caſtris dirigit arma
Ingenuus genius Tua, Te pia cura coronat.
Carmina grata petis? grato qvi carmine clarus,
Carmina pauca Tibi gratâ de mente Thalia
Noſtra dedit, meliora dabunt Tibi carmina Muſæ.

Amicisſimo ſuo a'îmi poſuit!
M. Melchior. Crügerus
Peitzena Luſatus.

Extremos quid enim jam nunc excurris ad Indos,
Non tuus in noſtro deſinet orbe labor?

Amicisſimo ſuo
Rabnero
f.
Johannes Georgius Reinboth
Holſatus.

J659
K58d